DE VULNERUM ABDOMEN PENETRANTIUM LETALITATE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-FORENSIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIV. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

GEORG. WILH. GOTTH. EICHHOFF,
NASSOICO-WEILBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:
D. BEHAGHEL, MED. ET CHIR. DD.
W. BECK, MED. ET CHIR. CAND.
E. LANGE, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

EST NOBIS VOLUISSE SATIS; NEC MUNERA PARVA RESPUERIS.

TIBULL.

VIRO

AMPLISSIMO, DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

W. *HUTHSTEINER*

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, CONSILIARIO IN REBUS MEDICIS SUPREMO NEC NON PRAEFECTURAE WEILBURGENSIS PHYSICO

HANCCE DISSERTATIONEM
STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS
SUMMAE REVERENTIAE ATQUE
OBSERVANTIAE TESTEM

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Quaerenti mihi saepenumero atque animo volventi, quid sit, quod dissertationi, qua summos in medicina et chirurgia honores adipiscar, maxime conveniat, varia variarum rerum mihi obvenit scribendi materia.

Quum vero mihi novissimo tempore, Weilburgi ferias peragenti, casus quosdam morbi maxime memorabiles ac qui memoriae tradantur, dignissimos observandi, summa viri doctissimi mihique amicissimi Dr. Huthsteiner benevolentia et humanitate data esset occasio, neque ineptum, neque inutile existimavi, hos dissertatiuncula ornare adque usum vulgarem accuratius tractatos publici juris facere.

Sunt primitiae, quae his scriptis a me in lucem eduntur. Ne sis igitur, quaeso, Lector candide! severrimus judex, ne abjiciam animum bonum, si tempore futuro fortasse meliora tibi tradam.

Narratio prima.

Phil. Schneider, juvenis rusticus, agri Weilburgensis ad Lahnam, annum agens vicesimum quartum, cum per rixam, in vici caupona forte ortam, inter ceteros staret erectus, die XVI. mensis Aprilis anni MDCCCXXVII. cultri ictu in regione inguinali dextra ita vulneratus est, ut cultri lamina alte in abdomen penetraret, plagamque ei iceret digitum transversum latam. Qui, quum in domum vicinam, aliquot passus distantem, abductus esset, pars intestini tenuis statim ex vulnere prolapsa est, quam Chirurgus, vel incisione modica facta,

reponere frustra studuit. Quum tandem Dr. Huthsteiner, medicus hujus loci publice institutus, advenisset, intestinum aëre extentum vehementerque inflammatum et colore livido infectum reperit. Desierat jam aegri turbatio et stupor animi vomitusque, qui domum vicinam intrantem invaserat; urinamque limpidam ille reddiderat. Mentis suae compos erat, sed pulsus valde debilis et parvus, facies pallida, respiratio stertens, sitis inexplebilis. Querebatur aeger dolores acerbissimos, qui pedum motum impediebant. Conatus, qui identidem ad reponendum intestinum illud, leni suspensaque manu fiebant, non ita vehementes dolores commovebant. Sed, intestini parte quidem initio in abdominis cavitatem repressa, totum tamen nullo modo reponi poterat. Vulnus incisione hanc ob causam dilatatum est; omnes conatus tamen irriti erant; quotiescunque enim particula intestini parva repressa est, digito vel paululum remittente denuo prorupit. Quum igitur res ad extremum perducta esset, medicus ad eam rationem confugit, ut intestinum hoc, aëre quam maxime inflatum atque extentum, acu tenui punctim feriret, quo facto, aëre statim emisso, aliquantum concidit intestinum, ita, ut decima, postquam vulneratus est, hora, in abdomen quamquam aegre reprimi posset.

Sed suturis jam continendum erat vulnus, quum etiam atque etiam prorumpere in hoc vulnus

intestinum niteretur, quod eandem ob causam non sine magno labore perfici potuit.

Quum deinde faeces emisisset, clysteres aliquot ex melle, aceto et aqua adhibebantur et mixtura salis amari et olei. Secuta est venaesectio, in brachio facta, unciarum duodecim. Insequentis diei tempore matutino pulsus erat celerrimus, aeger, saepe oppressus, sopore jacebat. Vulneris regio erat tensa, rubicunda et calida. Hirudinibus quindecim huic parti adhibitis, abdomini fomenta frigida imposita sunt, vulnere linteolo, quod oleo intinctum erat, obtecto.

Tempore pomeridiano delirium, pulsus celer et parvus; ad vesperam hujus secundi diei corpus totum sudore frigido obtegebatur, accedebat jactatio, singultus, et tempore matutino diei tertii inter horam vel septimam mors consecuta est.

Sectio cadaveris.

Postero die cadaver, quod insueto veris aestu solito celerius putrefactum est, sectione publice facta exquirebatur. Abdominis dextri musculi toti in putredinem abierant; inter suturas vulneris parva intestini portio fabae magnitudine exstabat. Nodis suturae solutis, particula illa intestini, quae initio repressa erat, iterum prolapsa est, sphacelo prope correpta. Cavitate abdominis aperta, in ea mesenterii parte, quae ab ileo conterminatur, vulnus linearum decem comparebat, per quod pars jejuni proruperat ad ventris vulnus externum, ita ut intestinum hoc, mesenterii vulnere tamquam annulo circumdatum, hac incarceratione in cavitate abdominis perpetuo flatibus extentum, semper ad vulnus externum propelleretur. Haec jejuni in mesenterii vulnere incarceratio, quae inflammatione levibusque adhaesionibus firmata erat et aucta, tunc demum soluta est, quum totus intestinorum tractus evolvendo explicaretur. Retracto jejuno ex illo vulnere, parva etiam intestini ilei laesio reperiebatur. Tum apparebat inflam-

matio totius fere cavi abdominis atque extravasatum seroso-sanguineum, quod partim ex vulnere mesenterii ortum erat, partim ex laeso venae renalis dextrae ramo, qui digito premente sanguinem effundebat, cui effluenti sanguini (id quod mirum videbatur) adiposae sive oleosae guttae supernatabant, ita ut, quo magis vena laesa digito premeretur, eo plures guttae scaturirent 1).

---

1) Semel tantum hujus modi guttas in corpore secando visas esse me legisse memini in Ephemeridibus medico-chirurgicis Salzburgensibus.

Narratio secunda.

Phil. Schaefer, et ipse Weilburgi agri rusticus, annum agens vicesimum secundum, robusti corporis statura, primo hujus anni MDCCCXXIX die, sclopeti embolo ex charta mansa et conglobata in regione inguinali dextra, ex tam propinquo percussus est, ut etiam vestes ejus, ab igne e sclopeto emisso correptae, incenderentur.

Idem ille medicus Dr. Huthsteiner, partem vulneratam scrutatus, in regione inguinali dextra, ubi vasa cruralia sub ligamento Poupartii descendunt, vulnus reperit ovale, margine inverso, pollicis magnitudine, et supra hoc ligamentum prope ad lineam albam vulnus secundum pari magnitudine, ab illo altero vulnere et aliquantum amplius digito lato remotum. In hoc altero vulnere musculorum fibrae laceratae, foras expulsae, peritoneum aeque disruptum apparebat. Intestina non erant prolapsa, et quum vasa majora integra essent, sanguinis effusio perexigua, neque alieni quidquam in vulnere reperiri poterat. Hae vulnerum aperturae duae jungebantur per canalem, sive emboli viam, quae

cute nigra circumdata erat. Vomitus statim ab ictu ortus, pulsus durus atque contractus, facies mutata. Aeger acerbissimos ventris dolores querebatur, urinam rubram et calidam sine magna molestia mittebat. Modica venaesectione unciarum octo facta nulla in sanguine crusta inflammatoria cernebatur. Praeter mixturam oleosam cum sale amaro et gummi, clysteres et fomenta praescripta sunt.

Venaesectio facta statim mitigavit dolores, ut aeger prima nocte aliquoties per horam dimidiam dormiret. Clysteribus tribus adhibitis, venter ei motus atque lotium emissum est. Dolores intestinorum in symphyseos ossium pubis regione quasi in unum sese contulerant, et tempore matutino ex vulnere uno faeces, quibus pruna indigesta admixta erant, effluebant. Die secundo pulsus minus erat contractus et durus, aeger mentis compos et quietus. Eadem remedia adhibita sunt. Febris et sitis exigua, mens non turbata, urinae emissio facilis et abdomen dolorum expers, per tres dies subsequentes hujus simplicis curandi rationis fructus erant. Ex ambobus nunc vulneribus perpetuo tenues et fuscae faeces effluebant; quo quidem effluxu vulnerum marginibus species sordida nata est.

Die septimo clysteribus aliquot adhibitis alvi dejectio per anum fiebat, quae ab hoc tempore

sponte procedebat, quamquam durante per vulnera effluxu. Die decimo ex uno vulnere ascarides lumbricoides duae extractae sunt. Vulnera ambo paulatim particulis, quae contusione et combustione deletae erant, solutis, ita dilatabantur, ut funiculus spermaticus cerneretur, cui tamen digiti tactus dolorem afferebat. Testiculus dexter vero ita intumuerat, ut triplicem modum haberet. Die decimo tertio suppuratio tandem omnia, quae propter conquassationem pedetentim sphacelo correpta erant, absumserat, et vulnera ambo, quae initio separata fuerant, conjuncta, unam ovalem reddebant faciem, quinque digitos transversos longam, quae spatium, quod inter spinam ossis ilei superiorem, lineam albam, et ligamentum Porpartii est, tenebat, et funiculi spermatici parva admodum pars relicta erat. Musculi psoas et iliacus internus prorsus fere detecti conspiciebantur. Testiculus dexter adhuc tumidus erat, neque tamen dolebat; aeger febris et dolorum expers, oculi clari, sitis modica, ciborum cupiditas exigua; vulnus autem, quod sensim sensimque carne regenerata sese obtegebat, faeces effluere adhuc patiebatur. Sed clystere ad vesperam hujus diei decimi sexti adhibito, faeces matutino tempore per anum ejiciebantur, quae inde ab hoc tempore nunquam per vulnus eductae sunt.

Die deciemo octavo rheumatismo genu sinistrum afficiebatur, et paululum sanguinis exspuit aeger, qui, quum pauper esset, in tugurio tenui paupertatis miseriis et vento perflanti expositus erat. Regimine antiphlogistico et sacculis calidis in genu impositis haec sanabantur. Vulnus autem, quod insequentibus diebus adeo contractum erat, ut ciceris ambitum aequaret, die quadragesimo quinto, ut e lectulo surgeret aeger, permisit. Pars ventris inferior, sphacelo correpta, ita restituta est, ut vulneris loco cicatrix esset, eadem, qua cetera, facie et orbe fusco circumscripta. Funiculus spermaticus, partim consumtus, quum cicatrici coaluisset, distentione initio quidem laborabat, sed paulo post dolor omnis desierat.

Natura hac mirabili vulneris gravissimi sanatione, quae fidem excedunt, se efficere posse, ostendit.

Epicrisis.

Vulnera, abdomen penetrantia, cum mesenterii aut omenti laesione, ab omni tempore, praecipue tribus de causis, valde periculosa vel letalia credebantur. Primum, quod harum partium vulnera, irriso artis studio, gangraenosa fiunt 2, 3). Deinde, quod homines in mesenterio vulnerati, doloribus vehementissimis cruciati, celerrime in vitae periculum vocantur. Quapropter Ruysch 4) et hasce affectiones ex nervorum majorum laesione tantum ducens, haec vulnera, vel sine sanguinis extravasato, semper mortifera existimavit. Cui vero opinioni Morgagni 5) non assentit, atque ex scriptoribus recentioribus prae omnibus

2) Boyer Abhandlungen von den chirurgischen Krankheiten und den dabei angezeigten Operationen übers. v. Textor. Würzb. 1818. — 26. Bd. 7. p. 395.

3) Sam. Cooper neuestes Handbuch der Chirurgie in alphabetischer Ordnung übers. von L. E. v. Froriep Weimar 1819—21. Cop. von den Unterleibswunden.

4) Ruysch adversaria anatomica D. II. No. 4. 8—9.

4) Morgagni de causis et sedibus morborum epist. 54. §. 33.

Masius 6) de sola mensenterii laesione, vasis integris, dubitavit, quum horum nervorum et vasorum complexio nimis esset arcta, neque vulnus unius sine eo alterius, sanguine extravasato deficiente, existere posset. Attamen Ruyschii, ni fallor, opinio, non tam plane rejicienda est, quum quidem rationi contrarium non sit, ex nervo tantum laeso mortem duci, ubi cadaveris sectio nulla alia ejus momenta praebet, atque ego quidem credo, nervum, inter mesenterii plagulas situm, minimo ictu discissum aut disruptum, spasmis vehementissimis virium consumtionem celerrimam efficere posse.

Tertium vero momentum, quo haec vulnera vim mortiferam exhibent, sanguinis ex vasorum laesorum in abdomen profluvio constituitur, quia remedii quoque directi ad eam effusionem sistendam plane expertes sumus, nec vasa illa dissecta, in laxam mesenterii telam retracta, valde coarctari possunt, quare sanguinis embolo difficillime obturantur, ne dicam de effusionis vehementia ex ramis aortae trunco proximis. Atque hoc propter momentum Metzger 7) mesenterii et omenti pla-

---

6) H. H. Masius Lehrbuch der gerichtlichen Arzneiwissenschaft. Bd. II. §. 157. Arm.

7) Metzger's kurzgefasstes System der gerichtlichen Arzneiwissenschaft. 2te Ausg. Königsberg und Leipzig. 1793. §. 156 Anm.

gam unamquamque letalem habuit. Ruland 8), Henke 9), Masius 10) hanc sententiam corrigentes, eam tantum sanguinis effusionem ex vasis majoribus prope ad originem ex aortae trunco laesis, neque tamen id profluvium ex vasorum minorum ramificationibus lente ortum, semper letale existimant. Certe quidem plagae multae cum subsequentibus in abdominis cavum haemorrhagiis, quamquam complicatae, tamen sanatae, veritatem horum virorum sententiae testari videntur. Nam praeter arteriam epigastricam haemorrhagias illas saepissime ex vasis meseraicis aut omentalibus ortas esse mihi persuasum est.

Ex vasis parvis in ea parte mesenterii, quae ab intestino conterminatur, non tam vehementer sanguis effunditur, accedente insuper intestinorum pressione. Petit 11) et Sabatier 12) primi observabant exsudationes celerrime circa sanguinem, ita effusum, semper in alteroutro lineae albae latere,

---

8) Th. A. Ruland von dem Einflusse der Staatsarzneikunde auf die Staatsverwaltung, nebst einem Entwurf der Staatsarzneikunde. Rudolstadt. 1806. p. 256.

9) A. Henke's Lehrbuch der gerichtlichen Medicin. 5te Aug. Berlin. 1827. §. 412.

10) l. c. Bd. II. §. 217.

11) Boyer l. c. B. 7. p. 433.

12) Sabatier's Lehrbuch für praktische Wundärzte. Übersetzt v. Borges. Th. 1. p. 28.

ut Chelius 13) refert, fieri, quibus extravasatum ab intestinis separatur, nec valde augeri potest. Masius 14) quidem et in hoc casu, ubi vasa minora laesa sunt, vulnerati mortem quoque ex eo ducit, quod ligaturae in hisce partibus imponi non possint; sed Boyer 15), neglecta tantum paracenthesi, nec abdominis cavo a sanguine, sic effuso, liberato, huic extravasato vim mortiferam adscribit, quare in Chirurgum, huic indicationi non satis facientem, culpam exitus pessimi transfert. At vero extravasati minoris signa pathognomica, ut abdomen tumens, alvus obstructa, vomitus, vesica urinaria pressa eosdem inflammationis characteres exhibent, excepta fluctuatione, quae quidem saepissime non satis est perspicua. Accusandi igitur minime sunt medici, qui in tali rerum conditione inconsulte paracenthesin facere cunctantur.

Atque narratione mea momentum quartum et quidem rarissimum exhibetur, quo in mesenterio vulnerati perire debent, intestini nempe incarceratione in abdominis cavo, jam antea descripta, qua hoc vulnus, sine sanguinis magna aut faecum extravasatione, utique letale erat. — Vulgo tantum de intestino in vulnere abdominis externo incar-

13) Handbuch der Chirurgie von Chelius. 2te Ausg. Heidelberg und Leipzig. 1826. Bd. 1. Abth. 1. §. 467.
14) l. c. P. 147.
15) l. c, Bd. 7. p. 404.

ceratio dicitur, quapropter remedia sunt: incisio vulneris modica, divisio contentorum in intestino protracto aequalis, tandemque, si flatibus nimis extentum est, punctio.

Omnia haec remedia in vulnerato, de quo dixi, ex ordine adhibita sunt neque tamen incisio fructum afferebat; punctione quidem facta intestinum aegre per plagam reprimi potuit, ut suturis tribus imponendis fieret tempus, quibus impositis paulo post intestini pars iterum inter eas prorupit. Haec sola intestini in mesenterii vulnere incarceratio reductionem tam difficilem efficiebat, nec digito quidem explorante cognoscenda nedum amovenda erat, nisi praemagna vulneris externi incisione. De tanta in rebus ad extremum perductis incisione jam Heister 16) mentionem facit, eamque fieri probat, si intestinum laesum in abdominis vulnere reperi non possit; simulque de casu aliquo loquitur, quem vulnere praeter modum dilatato, felicissimus consecutus est eventus; atque porro de alio, cujus auctor est Cheselden, qui ipse viro, hernia incarcerata neque reducenda laboranti, abdomen valde incidit, quo modo, hernia reducta, vulnus sine ullo damno remanente sanavit. Praeterea et in Boyeri 17) libro de chirurgia locus est, qui narrationi meae convenit, ubi de incerto gastrotomiae

16) Heister's Chirurgie. Dentsche Ausgabe. P. 97.

17) l. c. Bd. 7. p. 459.

in volvulo perficiendae eventu porro dicit: „Das, „was wir in Bezug auf die Gastrotomie bei dem „Volvulus gesagt haben, gilt auch ohne Beschrän-„kung bei einer andern Art innerlicher Einklem-„mung, welche mehrere mal beobachtet worden „ist, und welche bald durch ein Band, welches „den Darmkanal wie eine wahre Ligatur zusam-„menschnürt, bald durch eine ringförmige Oeff-„nung im Gekröse, welche bandartig ist und in „welche sich ein Theil dieses Canals verwickelt, „gebildet wird. Wenn diese Ursache der Einklem-„mung erkannt werden könnte, so würde sie sogleich „die Gastrotomie dem Punkte gegenüber, von wo „alle Kolikschmerzen ausgehen, welche dem Er-„brechen vorangehen, erfordern. In diesem Falle „kann nur die Durchschneidung des Bandes, oder „Vergrösserung der Oeffnung im Gekröse dem „Kranken das Leben retten.“

Quod si praetermittas, mesenterii vulnera per se vulgo letalia existimari, in hisce rebus, plerumque ad forum pertinentibus, periculosum est, ad remedia inconsueta confugere. Etenim, si quid adversi medico, hoc modo procedenti, accidat, rei defensor, ut fit, damnum, quod vis, medico, non ex more agenti, neque chirurgorum celeberrimorum judiciis et exemplis instructo, tribuet. Ceterum maximi certe momenti res est, medicum semper ad omnia ea esse paratum, quae, quamquam

scholae praeceptis non tradita, optime tamen illud medici ingenium praestantissimum in rebus desperatis minime destitutum testantur.

Narratio secunda non minus insignis est, quia chirurgorum sententiis de ano vicario, aut inevitabili stercoris fistula, nec non de intestini stricturis, hasce laesiones subsequentibus, plane repugnat. Natura conditionibus pessimis partes tum in ventre tum in intestino ipso deletas restituit, et ad sanationem perfectam eo praecipue memorabilem adduxit, quod intestinum ita disruptum peritoneo et musculis abdominis adhaerere non potuit; quum cuncta vulneri proxima gangraena essent affecta. Quis enim est, qui Dufouarti 18) sententiae addictus, intestini stricturam non exspectaverit in loco, ubi caro omnibus ex partibus luxurians distingui non potuit, quae aut ex intestino, aut ex musculis. Qui quidem scriptor ita ait: „Oft heilen diese Verwundungen „ohne Hülfe der Kunst, und nicht selten habe ich „nicht einmal Fisteln oder andere uuangenehme Zu-„fälle nach deren Vernarbung zurückbleiben gese-„hen. Der Wundarzt muss sich über die Art, wie „die Vernarbung solcher verletzten Eingeweide ge-„schieht, durch hinlängliche Beobachtung belehren, „um die unangenehmen und häufig entstehendeu

18) Dufouart's Theorie der Schusswunden und ihre Behandlung übersetzt und mit Anmerkungen begleitet von J. Dr. Siegfr. Kortüm. Jena 1806. p. 217.

„Resultate dieser Verletzungen, die Kothfisteln und „die Verengerungen des Darms zu mildern und zu „verbessern. Die verletzten und zerrissenen Darm- „häute verbinden sich nicht unmittelbar mit ein- „ander, sondern sie verwachsen mit der Oberfläche „der nahgelegenen Theile, und erborgen sich gleich- „sam von ihnen einen Theil, um ihren Substanz- „verlust zu ersetzen. Diese Art der Wiederher- „stellung eines verletzten und durchlöcherten Darms „hat ihren grossen Nutzen, denn wenn die Ver- „narbung der Wnnde durch die Verbindung ihrer „eignen Häute zur Erzeuzung neuer Substanz ge- „schähe, so würde dies eine Verengerung und Ver- „kleinerung des Durchmessers des Darms zur Folge „haben, die sehr den Funktionen des Organs hin- „derlich wäre. Wenn sich die zerrissene Wand „des Darms an die benachbarten Organe anlegt, „so geschieht dies entweder gänzlich, so dass die „verdauten Speisen wieder ihren gewöhnlichen „Gang nehmen, oder Theilweise, wo denn ein „fistulöser Sinus gebildet wird, durch welchen die „Exkremente nach Aussen dringen können. Die „Kunst störe hier nicht die Bildung der Kothfistel, „nur suche man die Nebenwirkungen, die vielleicht „erfolgen können, zu leiten, denn es geschieht bis- „weilen, dass wenn auch die Vernarbung unmit- „telbar erfolgt, doch eine Verengerung des Darms „entsteht.“

Boyer 19), ille chirurgorum recentiorum vir summae autoritatis, his vulneribus prognosin non meliorem concedens, in libro, quam antea jam attuli, haec: „Wenn der Theil des durch einen „Schuss zerstörten Darms nicht beträchtlich ist, so „nimmt der Koth seinen gewöhnlichen Gang, im „entgegengesetzten Fall bleibt die Wunde fistulös, „oder es bildet sich selbst ein künstlicher After."

Quorum tamen virorum sententiae ad inevitabiles intestini tantum stricturas, aut ad stercoris fistulas spectant. At Germanorum de medicina forensi compendia perscrutantes, vitae conditiones in hisce libris ubique tractatas reperimus. Ut a Metzgero 20) incipiam, qui intestini vulnera sclopetaria, adhibitis quoque remediis aptissimis, necessario mortifera judicat. Henke 21) porro haec: „Mehr- „fache und komplicirte Darmwunden, welche mit „Zerreissung und Zerquetschung verbunden sind, „besonders aber Schusswunden sind sehr gefähr- „lich, letztere wegen des oft unabwendbaren Ue- „bergangs der Entzündung in Brand häufig noth- „wendig tödtlich." Masii 22) opinio est: „Schuss- „wunden des Darmkanales, besonders des untern „und vordern Theils desselben sind nicht immer

19) l. c. Bd. 7. p. 462.
20) l. c. §. 408.
21) l. c. §. 154.
22) l. c. §. 154.

„tödtlich, da die durch den Schuss gemachte Oeff-„nung nicht weit von den Hautbedeckungen ent-„fernt ist, sich also leicht Verwachsungen ohne „nachtheilige Folgen bilden können.“

Curatio igitur perfecta secundum Dufouartem praecipue tum efficitur, si intestini disrupti partes deletae peritoneo atque musculis obteguntur, neque eae plane ex intestino ipso restituendae sunt, et Boyer, parva tantum intestini laesione, stercoris fistulam prohiberi posse contendit. Narratio mea de vulnerato, qui, intestino et abdominis musculis tanta ex parte gangraenosis, optime evasit, cum illorum sententiis minime congruit. Equidem hanc plagam, mirum in modum sanatam, maxime ex vulneris amplitudine, quo faeces facillime ejiciebantur, deducendam esse credo, quum vulnus ad hunc finem minime incidendum et dilatandum erat. Quae incisiones et dilatationes, quamquam necessariae et aptae, tamen id praebent incommodum, quod adhaesiones in vulneris circuitu utilitatem summam afferentes exstinguunt. Hanc ob rem Larrey 23) sane vulnera sclopetaria in abdomine tantum usque ad partes aponeuroticas, Dufouart contra, vulneris canalem totum, imo etiam omentum incidit. Chi-

23) Larrey Beobachtung einer Unterleibswunde mit Verletzung des dünnen Darms nebst Bemerkungen über Unterleibswunden im Allgemeinen, aus dem Franz. übers. v. Robbi. Weimar 1822.

rurgus ille celeberrimus, cujus quidem judicio prae omnibus confitendum est, in libro suo de intestinorum vulneribus, sanationis perfectae conditiones, quas Dufouart et Boyer necessarias ducunt, non commemorat; verba ejus attuli: „Tief eindringende „Bauchwunden mit Darmverletzung sind zwar von „jeher für höchst gefährlich, ja sogar für tödt-„lich gehalten worden, allein demohngeachtet kön-„nen dieselben, sobald sie nämlich mit Schiessge-„wehr beigebracht worden sind, glücklich geheilt „werden, wie Beispiele in meinen medicinisch-„chirurgischen Denkwürdigkeiten beweisen.“ Atque in ejusdem libri alio loco minime cum Germanorum, vulnera sclopetaria ictibus multo periculosiora existimantium, dictis convenit, quod quidem his ex verbis elucet: „Darmwunden welche „mit blanken Gewehren, mit Degen, oder Bajo-„netten beigebracht worden sind, haben einen ganz „andern Verlauf und bieten auch ganz andere Er-„scheinungen dar. Ihre Vorhersage ist meines „Erachtens viel kritischer und gefährlicher als bei „Feuergewehren, besonders wenn die hierbei ob-„waltenden Zufälle einen gewissen Grad von In-„tensität erreicht haben.“

In memorabilibus suis de pluribus in abdomine vulneratis loquitur, quorum autem nullus cum meo comparandus est, nisi unus, qui musculorum et ilei parte globulo absumta, tamen sanatus est.

Plagam vero externam non magnam fuisse ex eo, quod incisione valde dilatabatur, concludendum est. Thomson 24) in militum Anglorum nosocomiis casus quidem observavit plures, sed, pro dolor! nil de eorum exitu refert. Ne Platnerum 25) praeteream, qui in libro de chirurgia multa enarrans praecipue de hominis cuiusdam curatione, non minus notatu digna, mentionem fecit, sed nusquam, quod nostro plane conveniat exemplum, descriptum reperi.

De ratione, qua partes ita deletae sine ullo damno restitutae sint, quod dicam, non multum habeo. Certe quidem caro ex imo intestini vulnere primum orta, quod Larrey 26) quoque semper observavit, cum ea, ex musculis abdominalibus regenerata, in unam massam confusa est, et intestinum aeque ac musculi, nec non funiculus spermaticus omnino coaluerunt. Larrey27), cuius opinioni nil repugnat, his in casibus tractum intestinalem semper breviorem fieri, credit, sed nunquam intestinum tali modo cum ceteris partibus conjunctum, postea ab iis separari, neque in ea parte motum peristalti-

24) J. Thomson's Beobachtungen aus den Brittischen Militairhospitälern in Belgien nach der Schlacht von Waterloo, nebst Bemerkungen über Amputationen, aus dem Engl. übers. v. H. W. Bueck, Halle 1820.

25) Platners Chirurgie §. 693. Anm.

26) cf. librum jam citatum.

27) l. c.

cum, quem ita vocant, recuperari puto, quod quidem chirurgus ille peritissimus in adhaesionibus et agglutinationibus, ex levioribus tantum laesionibus ortis, semper evenire, censet.

Quod denique attinet ad causas, quibus intestini vulnera sclopetaria sine aliis complicationibus e. g. vasorum et nervorum majorum laesione, miro saepe modo sanantur, in eo potissimum quaerendae sunt, quod inflammatione celerrima et mortificatione partium in toto plagae circuitu crustae, vasa obturantes et adhaesiones oriuntur, quae vulneris canalem a ceteris partibus citissime separant, atque sanguinis faecumque in abdominis cavum extravasationes optime impediunt. Talis plagae situs, qui faecum effluxui favet, auxilium insuper non parvum curationi praebet. Vase majore non laeso, crustis separatis, haemorrhagia non facile orietur, quamquam hoc tempus valde periculosum est. Corpuscula minora, quamquam in vulnere retenta, postero suppuratione soluta, per vulnus aut ulla alia ratione foras sibi viam aperientia, id saepe mali non afferunt, quod primo ex iis debebat exspectari.

Iam restat, ut dicam, utrum intestino tenui, an crasso vulnus allatum sit. Atque medicus quidem, qui aegrotum curavit, ex plagae directione cibisque indigestis, per vulnus effluentibus, intestinum tenue laesum fuisse judicavit, nec non haec

opinio certe magis est probanda quam refutanda. Intestini tenuis vulnera, et quidem ea, quae partium defectus consecutus est, omnibus temporibus valde periculosa, imo etiam per se letalia, existimantur. Scriptorum hujus aevi recentiorum Thomson, ille vir summae experientiae, in libro de observationibus in militum Anglorum nosocomiis dicit, vulnera instini tenuis generatim vel primarie vel secundarie esse letalia, dum intestini crassi vulnera saepius sine ullis incommodis ad sanationem perducantur. Exempla in Platneri libro allata aeque ac Larreyi et meae narrationes de horum vulnerum prognosi maxime quidem dubia neque tamen pessima testimonium faciunt.

Vita.

Ego, G. W. G. Eichhoff, confessionis evangelicae, die XIV. mens. April. A. MDCCCII. Weilburgi ducatus Nassoici oppido parentibus dilectissimis, patre optimo N. G. Eichhoff, Phil. Doct. et litterar. Graec. ac latinarum professore supremo in gymnasio illustr. Weilburgensi, matre carissima gentis Creuzerianae, quem utrumque adhuc viventem laetor, natus, et parentes quidem meos, quanta in me beneficia contulerunt, consequi nequeo; ii enim per totam meam aetatem duces mihi sapientissimi, et studiorum meorum rectores exstiterunt. Prima autem doctrinae elementa mihi tradidit pater ipse optimus; tum gymnasium Weilburgense florentissimum plures per annos frequentavi, demumque studiis, quae ad academiam viam aperiunt, absolutis, anno huius seculi vicesimo quarto, mense octobris, pluribus jam academiis ob valetudinem adversam relictis, Bonnam, ubi Rectore magnifico Clariss. Schlegel, in civium academicorum numerum reciperer, me contuli, et apud Illustr. Harless, t. t. facultasis medicinae decanum, nomen professus sum. Professorum philosophici medicorumque ordinis celeberrimorum scholis assidue affui. Clar. Weber mihi tradidit

osteologiam et neurologiam; Cel. Mayer anatomiam corporis humani universam et artem cadavera rite dissecandi; Ill. Nasse physiologiam tum generalem, tum specialem. De anatomia comparata nec minus de pathologia generali et physiologia Cel. Müller explicantem audivi. Frequentavi pralectiones Ill. Harless de therapia generali et materia medica, Cel. Münchow de physice, Clar. Noeggerath de mineralogia, Ill. Nees de Esenbek de botanice. Chirurgia quam generali tam speciali et doctrina de ossibus fractis et luxatis me instituit Perillustr. de Walther, artem obstetriciam Clar. Stein me docuit. Bonnam biennio praeterito reliqui, et Heidelbergam tendi, ibique per annos duos et semis moratus de anatomia universa et arte cadavera secandi Cel. Tiedemann audivi, de zoologia Clar. Leukard, de pharmacia Clar. Geiger, de chemia Gmelin. Ill. Chelio usus sum in chirurgia, ophthalmologia et medicina forensi, nec non interfui plaelectionibus Cel. Puchelt de therapia speciali, Cel. Naegele de arte obstetricia, Clar. Breidenbach de fascias rite imponendi arte. Ill. Chelius ad cursum operationum chirurgicarum cum disserens, tum operationes in cadaveribus moderans me adhibuit per duos semestres atque instituit. Exercitationibus interfui clinicis medicis per annum et dimidium Cel. Puchelt, obstetriciis Ill. Naegele, chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Chelii per biennium.

Heidelberga relecta ad almam literarum universitatem Berolinensem profectus sum, ibique Rectore magnifico Klenze numero civium academicorum adscriptus et Illustr. Bartels, t. t. Decano, in album relatus sum. Iterum in exercitationibus clinicis medicis Ill. Bartels, in chirurgicis Ill. Rust, in ophthalmiatricis Cel. Iüngken, praeceptores maxime colendos, habui.

Quibus omnibus his viris doctissimis atque illustrissimis quam maximas ago gratias, summamque in aeternum recolere gratiam intimo laetor laetaborque animo. —

Iam vero tentamine medico, nec non examine rigoroso coram gratiosi medicorum ordine absolutis, spero, fore, ut dissertatione conscripta thesibusque rite publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

---

1. Phthisis vera plerumque ex pneumonia originem ducit.
2, Inflammatio asthenica non datur.
3. Scirrhus ex inflammatione.
4. Haemoptysis non morbi symptomata, sed morbum exhibet.
